S... ...us

Wosiński Antoni Petri: Sarcophagus immortalis gloriae.

SARCOPHAGVS
JMMORTALIS GLORIÆ
Jn Gentilitio Bisontis Capite
Architectâ virtute
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI
D. VALERIANI
de Brudnow
BOCZKOWSKI
Ecclesiarum, Cathedralis Posnanień & Collegiatæ Varsauień CANCELLARII, Sochaczouień ac Cielaceń Præpositi, S. R. M. Secretarij
dum ei, summo omnium dolore, extincto,
Jn Ecclesia Cathedrali Posnanień
magno sepulchrali apparatu
Iusta funebria persoluerentur,
perenni sæculorum memoriæ
ERECTUS,
luciq; publicæ
à M. ANTONIO PETRO WOSINSKI
Philosophiæ in Alma Vniversitate Cracou: Doctore, in Academia Posnanień Rhetoricæ & Dialecticæ Professore
EXHIBITUS.
Anno salutis 1693.
Mensis Nouembris die 23

Typis Academiæ Posnanień

Jn Gentilitium Stemma
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI.



Vindicat à mortis iugulo, gelidum Caput Vri,
Armatus mucrone Leo, ferriq; poteſtas.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DNO:

D. HIERONYMO

De Magna Ghrząstow

WIERZBOWSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Fesensi, Suffraganeo, Præposito & Officiali Generali Posnaniensi &c.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. NICOLAO ZALASZOWSKI

I. V. Doctori, Protonotario Apostolico, Ecclesiæ Cathedrális Posnanień: CANONICO Surrogato Iudici Causarum Spiritualium eiusdem *Peraugustæ* Cathedræ.

S. R. Maiestatis Secretario,

ILLVSTRI MAGNIFICO ac GENEROSO DNO,

D. ANDREÆ

de Brudnow

BOCZKOWSKI

Perillustris & Reverendissimi Domini pie Defuncti,

Amantissimo Fratri,

Vltimæ voluntatis Executoribus

Dominis & Patronis Amplissimis.

V*Indicem à morte Sarcophagum, ad Capitolium immortalis gloriæ translatum, in sinu cari pectoris Vestri pono.* ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES, ac MAGNIFICI DOMINI. *Opus hoc Archimede dignum, quod sibi ipse Architectâ Virtute struxit, non à manibus attollentium, aut palmo metientis, sed rectefactorum conscientia, & animi heroici mensura pensandum est, à cuius structura & elaboratis sudoribus venit.* Non *aliter certè ad negotia mortis, nisi per opera vitæ, actusq; heròicos procedimus, magno anhelitu vibrantes brachia quæ ad condendas vitæ pyramides*

extenta

extenta, sepulchralibus etiam serviunt monumentis. Posthuma *hæc opera, communesq; mortalium vindiciæ sunt, quæ si vitalis apud secuturam ætatem famæ vigor, pari spiritu absolvit & animat, hoc in marmoribus agere compertum est, ut mors in illis ad saxum offendat. Durum hoc vitæ mortalium remedium,* Libitinæ *scopulus est: cui non alia funestior ab hominibus plaga, quàm quod totos non tolat. Superesse quippe funeri virtutem, ipsæ umbræ in sepulchralibus loquuntur Mausoleis. Hoc ære perennius, in Sarcophagum immortalis gloriæ assurgens, Magno* Nomini *Perillustris olim &* Reverendissimi *Domini* VALERIANI *de Brudnow* BOCZKOWSKI. *vocalis famæ cum cædo marmor, in cuius nam pectoris latomiis, quàm* Vestri, *iustius illud reponere possum, Ad hoc profecto cordis Vestri depositorium, amicum illud pectus, meliore sui parte superstes & profundiùs apud Vos, quàm in marmore scriptum; post funera etiam redire debuit, à quo vivens nunquàm recessit, imò periodum vitæ Vobiscum finiens, cum quibus circuitum egit. Perennabit iam cum summi Viri laudibus Lydius hic virtutis eius lapis. in quo posthuma experientur sæcula, quàm Vir aureus fuerit: eò diutiùs in pectoribus Vestris, quò magis asseruabitur æternitati. Solatio igitur Vestro, & Magni illus sanguinis, Sarcophagus hic perennaturæ famæ assurgat, in quo prorogabit vitam, non imminutus fato, sed divisus, imò à morte maior, cum terram corpore, cælum animo complexus sit. Quidquid tamen hic iustus dolor, & profunda tanti nominis veneratio, famulantis pennæ egit obsequio vel hoc* Nomine *apud Vos, gratiam inveniet quod de eo sit; qui Vobis amicissimus fuit. Hanc mihi & opellæ quoq; huic, summus benevolentiæ Vestræ favor spondet; dignus gratiis immortalibus & votis: ut cæleste numen Vobis, pro lachrymis & doloribus amici pectoris, solatia, & gemmas temporum refundat. Ita vovet & submisse precatur,*

Jllustrissimarum, Perillustrium
& Magnificarum Dominationum
Vestrarum.

Devinctissimus Cliens & servus

M. ANTONIVS PETRVS WOSINSKI
Phil: Doctor in Academia Posn: Rhetoricæ
& Dialecticæ Professor

SARCOPHAGVS

JMMORTALIS GLORIÆ

Ille demum viuere cum desierit incipit
Etiam post funera, tristemq; fatorum procellam
Meliore sui parte superstes,
qui
Augustorum in vita operum Dædalus ipse & Praxiteles
Architectam nominis sui famam & rectèfactorum conscien-
Colossis & Pyramidibus immortalis gloriæ insignem, (tiam
in Occasu
(Vbi maiores Clarorum Virorum, prout & solis umbræ sunt)
Orbis attoniti secuturæ posteritati.
Visendam exhibet.
Sola hæc dispensatrix immortalitatis
Florem hominum puriorisque metalli Viros
Cum se necdum in plenum vitæ & gloriæ decus explicauerunt
Præcocibus eripiens fatis, immortalitati inserit.
Sola.
Inter spolia mortis ac infelices manubias
Positæ mortalitati
Novum contra fatales *Libitinæ* ictus subministrans *Consilium*
Vindicias post mortem de summis Capitibus agit,
Sola deniq;
Ne cum corpore nomen omnisque memoria tumuletur
Quando trita longæuo sole senectus, ipsaqs dierum saturitas
mortales in rudera cogit:
Gloriam illorum, æquè ac vitam terminari prohibet
Condit illa & exstruit plerumque
Ad Orbis stuporem & miraculum
Præclara ex genio & industriá sæculi Mausolea
Non ut Celebre Virorum nomen & gloriam
fauillis & *Cineribus* damnet atque sepeliat:
Sed ut luctuosum in morte vitæ humanæ spectaculum

B In

In amplissimam perennitatis erigat Maiestatem
Educit cælo tenus prominentes Colossos.
Monumenta victuræ memoriæ
Ponit Triumphales in ipsa nostri victoria Arcus & septisonia
Augusta immortalis gloriæ Capitolia,
Aliaque sexcenta Funebria construit pegmata
Non ut hac portentosa excellentium operum mole
Fastigia mentium in ferali Vrna obruat
Vel augustam summorum virorum mentem & masculam vir-
Sepulchrorum ergastulis condat; (tutem
Sed ut hac posthuma operum celsitudine
à qua communes mortalium vindiciæ surgunt
Extendat gloriæ signa,
Monumentis omnibus maiora
Quam atræ post funera faces honoratis excelsarum mentium
Tenebras non lucem offunderent: (capitibus
Si Pharus hæc immorta'is g'oriæ
Lucido virtutum & sapientiæ fulgore
Supra ferales mortalium tumulos, æternùm non coruscaret.
Quam immemor posterorum obliuio
Funestas Magnorum in Ecclesia luminarium eclipses & de-
Letheis damnaret laticibus, (liquia
Nisi æterna marmora, saxaque perennitatem loquentia
Nisi vocalis eruditorum calamus
Vitam illis & spiritum infunderet.
Quis sciret extitisse aliquando Ilium Troianorum Vrbem
Græcorum potentiá ob Helenam à Paride raptam, solo æqua-
Quis Thebas ab Alexandro eversas, (tum,
Numantiam & Corynthum à Romanis dirutas?
Quis æmulam Romæ Carthaginem & Capuam sciret
Quis Annibalem, quis Pyrrhum, Mithridatem. Cambysem,
Darium, Xerxem, Cyrum, Alexandrum M. Scipionem,
Fabios, Curtios, Camillos, Fabricios, Pompeios, Cæsares,
Et alios Sexcentos nosset?
Nisi venturæ posteritati immortalis fama eosdem retulisset.
Nimirùm
Mortales quidem omnes sumus
Sed virtutibus & gloria,
Immortalitatis participes efficimur.
Hæc Te iustis à morte eximit vindiciis,
Summorum Virorum Gemma

Per-

Perillustris & Reverendissime Domine

VALERIANE à Brudnow BOCZKOWSKI

Ecclesiarum, Cathedralis Posnaniensis

& Collegiatæ Varsauień Cancellarie

Non hoc Tu circuitu, vitæ definivisti spatium,
Quo ergastulum Tuum incoluisti,
Ceu post illud non ampliùs victurus,
Sed perennis gloriæ, & immortalis famæ amplitudine.
Sublimat Te in hanc perennitatis basim,
Et erigit Tibi æternaturæ gloriæ Capitolium,
Supra Auitum Bisontis Caput,
Gentilitium Domus Tuæ Insigne
Generis claritudo, & Nobilissimi sanguinis splendor
Iubar hoc à magnis Natalibus ortum,
Et Nunquam se fulgentius explicat, quam in animo excelso,
In Tuo tamen sub modestiæ cortina, sic latuit nominis Clari-
Vt in Conchæ profundo, (tas,
Nemini nota, & tamen margarita,
Factus proinde splendidissimis Natalibus Tuis
Caput ipse & Corona,
Non quæsivisti euectos in sublime Atlantum vertices
Vt Olympum transcenderes gloriâ Celsitudinis Tuæ:
Pumilionum hoc esse sciens,
Cum nequeant iustâ staturâ, alieno vertice tolli.
Tibi quippe Gentilitium Caput
Quo fastigia mentium supergressus, prominebas in summo,
Non decempedâ ambitionis, sed mensurâ virtutis;
Nucleus ornamenti, sine cortice tumoris fuit.
Et licet iam lethali sit transfixum telo
Illud tamen sub trabali inclementium fatorum ictu succum-
Gentilitii potestas non permittit ferri (bere,
Imò
Vindicat à mortis iugulo Caput hoc
Ancipiti armatus gladio; oculis excubans apertis,
In specula Magnæ mentis Tuæ

Martius Leo.

Incutit ille ipsi etiam Libitinæ terrorem
Qui toties vel solius gladii huius fulgore,
Othomanicam excæcauit Hydram,
Quoties infestis Tauricanæ Phœbes ignibus,

Nati-

Nativam ferri obtendit aciem;
à cuius nitore, refracti incursantium radii, suos ferirent basi-
Non frustra iam mirabitur itura ætas, (liscos
Arte & Marte insignes,
imò ex utroque Cæsares.
In Domo Tua Heròés,
Sapientiæ scilicet & fortitudinis insignia,
Doctum Caput, & Gladius,
Armant & ornant Domum Tuam.
Gradiui hìc miracula sanguinis Tui Bellatores,
Quos ferax Heroum ætas
Martiali protulit arenæ, & Barbaricis opposuit viribus,
non vindico à tumulo, nec brevi Paginæ huic inscribo.
Sufficiet interim,
Inter Poloniæ Decios, sæculis omnibus memorandus,
Bellicæ dexteritatis compendium,
Mens ipsa Martis & Heròúm amussis,
Carissimus olim Genitor Tuus
Illustris ac Generosus Dominus
IOANNES de Brudnow BOCZKOWSKI.
Cuius tota anima in Gradivum transfusa,
Quia tota vita in cuspide Martis, & hostili sub ictu.
Loquitur hucusq; tantum Heròém,
Vocalis suis in Cineribus fama
Genitrix immortalitatis.
Deprædicat Palatinatus & districtus Lanciciensis
Martiam illius fortitudinem
Quam non opinione, sed ingenti animo spirabat,
Factus Lechicæ Genti, contra Bistonias acies
Murus Aheneus,
Scythico Tauricanoque furori terror,
Sarmatici Cor & *A*nima Gradiui.
Verùm quia nobiles ortus,
Non tam vitam ex suis Genitoribus,
Quàm ausum ingentium animorum trahunt;
Ex tam Heròíco maiorum spiraculo
Indolem excelsam, & genium summo Viro dignum traxisti.
Perillustris olim & Reverendissime Domine
VALERIANE à Brudnow BOCZKOWSKI.
Vix Te tenerum suis euoluit Lucina falciis,
Suscepêre Musæ, & primò eburnea membra, Ca-

Caſtaliis merſerê lymphis,
Pallademque ſuam
non fabuloſo Pòëtarum commento de cerebro Iouis,
Sed diviniori Vri Tui vertice,
Gentilitii miniſterio mucronis prognatam,
agnoverunt & veneratæ ſunt.
Florem alii virtutis, ubi primum culturâ literarum elegantior
Vmbraticos inter lares occultant (prodierit,
Acſi ad Martium ſplendorem & armorum aſpectum,
Priſtinam amittant elegantiam,
Quam verius Paternos decoquunt ad focos
Vmbratiles animæ, & publicam fugientes lucem noctuæ
Tuus ad plura decora enutritus animus
Et conſcius Nobilitatis ſuæ ardor,
Circumegit Orbem, domeſtico non valens arctari limite,
Quò plerumque imbelles animæ detinentur;
Cum ex ſcholaſtica arena, ad ſanguinolenti Martis aream pro-
Eo ſpiritu animatus, (diit,
Quem gloria fax generoſioris mentis, heròicis infundit pecto-
Vt magna ſoboles fortiſſimo Patri non diſpar, (ribus;
imò Gradivus ipſo Iove genitus, eſſe videreris.
Sed quam pulchrâ gradatione
à Caſtris armatæ Palladis
ad pacifica Exercituum Domini proceſſeris caſtra
Nemini paradoxum ſit.
nimirùm.
Cum ibi ſanguinem pro Patria fundere non potueris,
Hic ad aram incruenti ſacrificii,
Gratiſſimam victimam Te ipſum Deo offere properaſti
Iam itaque non in caſtris Marii aut Syllæ
Sed Regis Regum militans,
Quanta, virtute Tua merueris ſtipendia,
Excelſi in Eccleſia Dei teſtantur honores.
Admovit Te illorum faſtigio & ſummitati,
Non quæ Tibi cunas
Pulchra pudico nobilitas & fama, ſtrauere liguſtro:
Non levis pluma popularis auræ,
Neq aureus, Dædaleo pennam fingens molimine cenſus
Sed Hermus pectoris, & ingentes gazæ
Diuitiæ animæ, locupletis pondera mentis.

imò diu succrescens iustis meritis exercita virtus.
Aliis Nobilitas generis aptat gradum
Quo ad sacram Fortunæ aram ascendere moliuntur
Tibi in comitatu meritorum auxiliabatur integritas
Vivax agendi dexteritas, expedita vis prudentiæ,
Labor fatigari nescius, mensque ex literis
Culta quidem & elegans;
Sed mascula simulque potens sui
Nec redundans ad pompam.
Ergo comes iam virtutibus instat, & meritis se iungit Tuis honos
Posnaniensis & Varsaviensis Prælatura,
Monstravit Tibi ad tam celsa honorum in Ecclesia Dei fastigia
tutum & expeditum iter quod arripere placuit,
Jllustrissimus olim & Reverendissimus Dominus
STEPHANVS de Magna Chrzastow
WIERZBOWSKI,
Episcopus Posnaniensis,
Nostriq; Collegii Lubransciani
Mœcenas Munificentissimus
Perspicacissimus ille animorum interpres,
Selectissimarum mentium æstimator
Præsulum gemma, æviq; illius Antistitum Ocellus
Viderat in Te hanc animi magnitudinem & dexteritatem,
Dilexerat admirabilem ubiq; gratiam, morumq; comitatem
Amabilem dulcorem, & mentium suaue inviramentum
Cumq; Tibi nexu Illustrissimi sanguinis coniunctissimus fuerat
Æstimatione integerrimæ probitatis Tuæ, & innocentis con-
Omnium amores & affectus superabat, (scientiæ
nimirùm.
Spectatissima virtus pretium sui ubiq; invenit
& quocunq; eam intuleris adamas est
Ignibus suis seipsum prodens,
& inter monilia conferri, etiam ab invitis requirens
Sed quanti fecerit excellentes animi Tui dotes
& Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus
STANISLAVS in Magna Witwica
WITWICKI
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc: Posnań
Vel exinde conijcere licet,

Quod

Quod grandem administrationis Episcopalis molem
Nullius Atlanticis humeris, iustius esse imponendam censuit,
quam Tuis:
Cuius illibatam fidem & expeditam in omnibus probauit
Vestigium amoris & beneuolentiæ, (dexteritatem.
à Magni olim Antistitis Posnaniensis Gentilitia impressum
perennauit hucusq; in Te, (Solea
Continuato semper dilectionis favore
etiam Illustrissimi & Reverendissimi Domini
HIERONYMI de Magna Chrzastow
WIERZBOWSKI,
Episcopi Fessensis, Suffraganei Præpositi &
Officialis Gńalis Posnaniensis.
Limpidissimi Christianæ perfectionis speculi
Exemplaris virtutis absolutissimæ Ideæ
Totius scientiæ Encyclopædiæ, aureiq; Divæ Themidis ora-
qui etiam tunc [culi
Cum æternos animam colligebas in Orbes,
Orbari Tuis amplexibus dulciq; præsentia
Acerbissimi rem doloris ostendit.
Sed quis ultimis Tuis fatis illachrymari
& oculos in Niobes deliquium abire permittet?
Quis Tibi taliter in ultimo occasu parentare audebit?
Lachrymæ hic quod eluant non habent,
quod suppleant non inueniunt.
Non est ex dignitate Tua lamentis obrui [isset
Ceu Tibi aliquid, quod non perfectum irritat dolentes defu-
Oculis hic non madentibus, sed altùm contemplantibꝰ opus
Vbi quam exactum ad normam omnium sæculorum [est,
in vita Tua confeceris opus,
Solida virtutis & vitæ Tuæ compages monstrat.
Satisfecisse Te personæ quam egisti,
Satisfecisse nominis & virtutis mensuræ quam implevisti,
Satisfecisse gloriæ pro qua tota vita laborasti,
Sole meridiano liquidiùs est.
Vitam ergo & quidem perennem in animis omnium,
Non sepulturam, non Sarcophagum meruisti.
Calentibus desiderijs animari,
Sæculorum votis expeti
Et

Et nunquam non in Phœnicem amantium geniali
flamine renaſci dignus es.
Hoc effuſa in omnes animi Tui ſinceritas,
Hoc candor mentis eburneæ
Hoc concentratus omnium in unico pectore *Tuo* amor,
& refractus fortiùs ſingulorum cordis præcordia urgens,
Sumat poſt fata præmium.
Non corticem ſine nucleo
Aut velum Timantis quo nihil tegitur,
Sacrum animi Tui auguſtale fuiſſe Orbi declaret,
Quiſquis Te factis, meritis, exemplis genuinum,
Rerum ſupra ingenia plenum,
Non à captu ſtateraque laudantium,
Sed ex ſeipſo maximum vidit.
Magnitudo illi & gloria [metientis,
Non iuxta robur attollentium, nec iuxta pollicem palmamuè
Sed factorum quoq; & virtutum Celſitudine aſſurgens,
Maturuiſti ſic, non diu ſed rectè vivendo,
Dum breve vitæ *Tuæ* ſpatium, curriculumvè,
Ingentibus pro Eccleſia meritis extendiſti & abſoluiſti.
Perorabit pro *Te* ſæculis omnibus,
Dulci ſuadæ *Tuæ* cothurno,
Celſiſſima Iudiciorum Poloniæ in Oraculis & reſponſis
ex Iuris & æqui bilance Maieſtas,
Aureum Te Divæ Themidis Tripodem, iuſtitiæ ſpeculum
Sanctiorem Arpinatem toties venerata,
Quoties unanimibus Illuſtriſſimorum Perilluſtr: & Rndiſſim:
*E*ccleſiæCath: Poſnanienſis Prælatorum & Canonicorum votis,
magno cum gloriæ Tuæ auctoramento,
Ad Sacrum Regni Tribunal
Cyneas Sarmaticus, Lechiciq; Areopagi *Lycurgus*
eligi perſuaſiſti.
Ad complementum tantæ gloriæ & famæ
Stricto ſaltem calamo attingere liceat.
Illuſtriſſimarum Familiarum ampliſſima decora
Magno Auiti ſanguinis vinculo, & conſanguineis nexibus,
Tibi arctiſſime coniuncta-
Principatum hic teneat, Illuſtriſſimæ Domûs WIERZBOVIANÆ
(Cui Paternam debes originem) ſplendidá omni ævo SOLEA,
Victrici Crucis ſignata *L*abaro,

Quæ

quæ Tibi solida virtutum integerrimi normâ ectypi,
cum præbuisset exempla,
etiam amplissimorum in Ecclesia honorum,
expressa monstravit vestigia;
quibus insistens & Olorinis Duninorum subuectus pennis,
felicior Icaro, in altum eminentiæ processisti
imò pernici cursu evolasti fastigium.
Texit Tibi in Corona sepulchrali perennem laudis adoream,
ipsis Gratiarum manibus, Cæli terræq; delicio texta
Materna Parczewsciorum Fascia,
Sed nunc funereos luctus absorbeat, lachrymas oculis detergat
& doloris nostri vulnera ex trabali ictu Tuo
hæc candida liget Vitta. [symbolum,
Profert victuræ memoriæ Tuæ geminatum in morte vitæ
Illustrissimus Warszycciorum Abdank
Gentilitij Capitis Tui pretiosum in vinculo monile.
Tibi Perillustris & Reverendissime Domine
uti purioris metalli Viro, auream æternitatis,
iam benè, à sacro Bisontis ore, fluente desponsatam annulo
in Regione vivorum, vovens & apprecans Coronam.
Sed quis ampliùs Archimedes in Sarmatico Olympo
Illustrissimæ Domus Tuæ nexus
tot Capita Prosapiarum, multiplici colligatione complexos
numerando recenseat?
Quis augusta Suchorsciorum, Ianicciorum, Siemiensciorum,
& aliorum sexcenta Nomina, tenuiori paginæ huic inserat?
quibus ex condigno inscribendis,
vix Cælum in paginam extensum sufficere posset.
Ad hanc succrescentis in Sarcophago magnæ mentis eius
Monumentoque sepulchrali gloriæ immortalis messem
iure æquissimo pertines
Illustrissime Magnifice ac Generose Domine
ANDREA de Brudnow BOCZKOWSKI
extincti nuper Pollucis Germane ac unice Castor,
Magnitudinem animi Tui non edissero,
in oculis omnium hucusque versatur.
seriem virtutum Tuarum non texo, vastissima est,
merita in Toga & sago non computo
adhuc in memoria tenentur, sufficiet dixisse:
posuisse quidem cum mortalitatis Exuuijs,
Carissimum Fratrem Tuum,
tot immortalia animi decora
ut Tu heres & successor Gloriæ illius, D ceu

ceu redivivus ex his Cineribus consurgas Phœnix.
Cuius Virile Nomen
non iners auspicium secuturis faciet Nepotibus.
Vrges & provocas in Panegyres Tuas tenuem calamum,
meritò dicendus sæculis, in quorum exempla laborasti
Heroum Gemma & amussis
Illustris & Magnifice Domine
PAVLE de Brudnow BOCZKOWSKI
pie defuncti ex fratre· Nepos dilectissime.
Tibi bellicus spiritus propè cum ubere haustus,
& Generosus animus ex traduce sanguine acceptus,
impulit Te sacro impetu, quo ipse ferebaris,
tam alacer in arma, tam expeditus & ardens:
ceu bellaria non pericula ambires
ceu pectus istud Tuum prodigum vitæ,
non una anima animaret. nimirum:
Armorum sitis in Generosis pectoribus inextincta
totoque calentior Vesuvio.
sic animus Tuus omnium dotes & pretia complexus,
ingenium vivax, erectum, sublime, indoliq; præcelsæ coniun-
cùm dilectionem in cordibus omnium (ctum
pretium sui & æstimationem
in intimis etiam piè defuncti præcordiis invenit.
His Augusti sanguinis, eminentium honorum, heroicarum
velut solidissimis subnixus Columnis, (virtutum,
assurgat Tibi in altum victuræ memoriæ monumentum
feralis quidem ex genio mortis Sarcophagus,
sed incremento gloriæ Tuæ vitalis, sed ingentibus meritis,
semper eò quò surrexerit maior,
montisq; Olympi naturam imitatus.
Stabit ille inconcussus contra Genium sævæ mortis
ubi ingenium omne deficit,
Celsitudine sua visendus, & ex ipsa morte triumphans.
Vivesq; Tu ipse, imò perennabis
memoriâ sæculorum omnium in tam augusto opere,
quod ipse architectâ virtute, & rectefactorum conscientia
cumq; post secutura ætas (solidasti
ad hunc Sarcophagum respiciet,
etiam in umbra
Te Magnum æstimabit.